



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

Nativitas Christi. 25. Decembris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

utrimq; acies, signa signis inferri, viros viris concurrere, scuta scutis, pede pedem hærere. Interea aspicit ex cælestibus ducibus unum, qui decussatis in crucem pedibus, aleam belli regebat, & victoriam ex suo arbitrio dispensabat. Nam cum sinistrum pedem dexter premebat, Romani; cum sinister dextro incumbebat, Bulgari vincebant. Sed & inter cæsorum corpora locum vacuum videt, auditq; fatalem eum sibi & commilitonibus suis futurū fuisse, si Veneri heri palmarum cessisset. Somnii veritatē cum sole dies ostendit, & strages Romanorum, quibus vincentibus primò, Bulgari ultimò victoriā extorserunt. Tum enimverò NICOLAVS rectius dehinc bellaturus, nomen militiæ religiosæ dedit. In hâc tot trophæa posuit, quot pugnas pugnavit. Illud nobilissimū omnium est, quod NICOLAVS de NICOLAO statuit. Ex Meneis.

Vide quid tibi ante tribunal illud terrificum respondendum sit de eo, quod in vano anima tuam, & anima talem; si inveniaris nihil egisse amplius de immortali & rationali spiritu, quam quodvis pecus de suo ? S. Bern. epist. 104.

NATIVITAS CHRI STI. 25. Decembris.

Evge nox omni die candidior ! Vides, quæ nullus dies vidit. Surgite, ecce, non ab undis sed stipulis Sol meus. Superi ! tam propè junctam soli quis umquā lunam conspexit ? viden' ut è filii vultu lætiores radios mutuetur maternus oculus ? Cæcus sum, nisi in hâc nocte amoré DEI mei video: video, video in hoc speculo ruborem meum. Stabulum, stipulae, panni arguunt : Boreas frigus pectoris accusat : bos asinusque ingratus clamant: loquaces puelli lacrimæ, & è parvo pectore

D d

magni

magni geinitus damnant. An isto igitur meum? at iratum metuo. At infans est: risu placatur. Negant manus tam parvæ fulmen ferre: si ferre velint, fasciæ vetabunt; mater non feret. Et numquid non pacé Angeli nunciant? Quid? quod blando insuper risu puer dulcissimus invitat, obvius etiam iturus, si pedes inferrent. Certè in amplexus brachiola offert. In tam amica vincula non currat? Imò pedibus plumbum denique demo. Ite, omnia puero vos membra substernite. Fœnum etiam vos estis. I, culcitra lingua esto: aptior VERBO non potest esse. Et tu cor pulvillum præbe: tactu mollesces. Vos quoque ite suspiria, & algentem foveate. Eia brachia in fascias; in balnea oculi abite. Denique ignoscite, qui aëra & rusticos mulcetis, filete Angeli. Præ omnibus modulis vestris vox optima, vox vagientis placet.

Ecce offertur tibi IESVS; curre obviis manibus, extende manus, expande sinus; devotionem tuam probet tam actus, quam affectus. Filium qui tibi offertur, suscipe fidem, amplexare affectu, semperque interubera commoretur. Guerric. serm. 2. de Nativ. Dom.

S. STEPANVS M. 26. Decembris.

Primus pro fide Christianâ sanguine suo STEPHANVS subscriptis, ut purpurati in cœlo agminis antesignanus non immoritò habeatur. Sapientia Deoque plenus, eoque ab Apostolis inter vii. principes Diaconus adlectus, mirum est, quam multis magnisque prodigiis sive Christianorum animos erexerit, sive fregerit dejeceritq; Iudæorum. Et movit ea res bilem indurato ad omnem malitiam populo, ut, veluti legem profanasset, in jus raperent. Sed ille pro Deo, & se ita dixit